



Vitilo eruditione & pietate insignis, Laureacensis antistes fuit, atq; eam Ecclesiam summa dexteritate administravit. Cum autem Hugo bertus Boiorum princeps, anno septingentesimo tricesimo quinto mortuus esset, Hunni & Auares eam occasionem arripientes, quæcunq; Boij infrà Anassum possedere flamma & ferro ustant, atq; Laureacum funditus extirpant. Ob hanc cladem Vtilo, qui post Hugobertum patrem dux factus est, Viuilem cum Symmistiis, qui periculum euaserant, Bathauiam cōmigrare iussit. ea urbs postea Laureacensium Episcoporum domicilium fuit, ita ut Episcopi Bathauenses & Archimystæ Laureacenses appellarentur. Eam sedis transmutationem Gregorius 2 pontifex approbauit, atq; Viuilonem officij admonuit. Inter alia in Epistola eius legitur, quæ apud Auent. lib. 3. extat: Nemo scorta aut concubinam alat: quisque aut castè uiuat, aut uxorem ducat, quam repudiare fas non esto. Nihil immun dum in cibis iudicetur, nisi simulachris falsorum Deorum immolatum.